

1446 absens damnatus est. Verum non multo post, cognita credo ejus innocentia, ex Tergeste quo se contulerat, publico decreto est Taurisium revocatus, ea conditione, ut non solum urbem egredi liceret, sed Mestrana quoque prædia Prætoris permisso invisere. Mox vero, sive patri id sit datum, qui sapientia & singulari charitate in patriam unicus in Venetis ea tempestate fuit, sive, quod magis credo, hominis innocentiae, ex Taurisio est in patriam restitutus. Sed ut tenax est fortunæ, ubi sævire cœpit, tenor, ita sane evenit, ut non multo post quam in urbem venerat, in crimen cædis fit devocatus, quasi eo auctore Hermolaus Donatus, dum noctu ex curia se dominum reciperet, imperfectus esset. Post itaque acerbissimam quæstionem de ea re habitam, quum nulla majora ejus cædis indicia extarent, in Cretam insulam est relegatus. Hinc quoque postea, quia res novas per literas molitus crederetur, triremi ad hoc ipsum in insulam missa, Venetias delatus, quum quæstioni adhibitus rogaretur, an auctor fuisset earum literarum quæ ad hostes scriptæ dicerentur, ita sane esse, affirmavit: cæterum dedisse se operam, ut ad Venetorum magistratum manus pervenirent, ratus fore, ut ob eam causam in patriam revocaretur, si non qua vellet, qua saltem posset, conditione. Demum quum nihil alioquin noxæ in eo compertum esset, in insulam novissime ablegatus, vitam in ea cum morte commutavit. Sub id quoque tempus Andreas Donatus Sforciæ largitionis reus, ex Creta quam insulam Ducaria potestate administrabat, jussu Patrum advedus, ad Decemviros causam dixit. Eum quæstioni subjectum, Decemviri mille ac quadringentis damnatum, publica administratio ne privatum, &, quod pene gravius fuit, per annum in vinculis esse voluerunt.

Dum hæc domi geruntur, Carolus Montonius, Brachii summi ducis filius, audita Sforciæ & Philippi reconciliacione, ob adversæ factionis odium ad Venetos transiit. Veneti duces interim Casale majus, & alia his circumiecta loca Sforciæ ademerunt, qui jam diversarum partium,

ut